



loquendi consuetudinem redijt. explicauit autem & idcirco quod Græcis talēta sint admodum diuersa. hoc uero quod ipse declarat habet centūuiginti pondo. Sed idem dicit Liuium usum talenti nomine de rebus Græcis minime loquentem, cum ait libro ab urbe condita primo: Sueffamq[ue] Pometiam ex his ui cepit, ubi cum diuēdita pręda quadraginta talenta argenti auricę recepisset. De re quidem nummaria loquens Liuius, utitur nonnunquā talenti uoce, meo iudicio Atticum intelligens, nisi aliud nominatim exprimat. qua de re in Græcis plura dicam. Alio qui cum pondus indicare uult, ferē seruat Romanū loquendi morem, ut libro septimo: Neq[ue] ita rei gestę fama se Italię finibus tenuit, sed Carthaginenses quoq[ue] legatos gratulatum Romam misere cum coronę aureę dono, quę in Capitolio in Iouis cella poneretur, fuit pondo uiginti quinq[ue]. Idem libro decimo: Argenti quod captum ex urbibus erat, pondo mille ccc xxx. Sic Liuius. Latini igitur si utuntur talenti nomine, maxime pro pondere, quasi semper aut aliqua transferunt ē Græcis, aut alio qui de rebus Græcorum loquuntur. Romanum enim pondus minime fuit. Sequitur iam libra siue pondo, quę idem significare probauimus. quam obrem errauit Perottus uir non indoctus, scribens pondo proprie significare xii libras his uerbis:

F 2 Et